



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 2. De Natura, Proprtione, & Objecto Justitiæ Communativæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81978)

te, nunquam tamen concedit facultatem ad actum in sensu composito prohibitionis, seu ad ponendum actum peccaminosum, ut peccaminosum, v. g. dispensatio concessa consanguineis, vel affinibus ad ineundum matrimonium, non solum reddit liberam ab incestu copulam matrimonialem, sed etiam extramatri- monialem; ita ut copula habita post obren- tam dispensationem, & ante initum matrimo- nium, non sit incestuosa, licet sit illicita, ut probat Thomas Sanchez libro 7. de Matrimo- nio disp. 17. num. 9. Unde ea dispensatio est facultas habendi non incestuosam copulam ex- tramatriam, quin sit facultas ad haben- dam copulam extramatriam; pariter dispensatio ad vescendum carnis facit libe- ram ab Ecclesie prohibitione comestione ali- unde peccaminosam, quin concedat faculta- tem ad peccandum; unde si is, qui habet dis- pensationem, comedat carnes furtivas, come- stio illa erit contra justam, sed non contra Ec- clesie prohibitionem, quam abstulit dispen- satio.

60. Tandem probabile censent plures cum Car- dinali de Lugo disp. 5. sect. 7. à num. 134. videlicet Religiosum abutentem pecuniâ ad usus turpes, quando habet generalem licenti-

am expendendi pro libito, peccare quidem contra alias virtutes, sed non peccare semper contra paupertatem; nam licet ea licentia non sit facultas, ut ponatur actus contra aliquam virtutem, est tamen facultas, ut non ponatur pecunie usus contra paupertatem, hoc est ci- tra legitimam licentiam ad validè expenden- dum, per quod manet facultas ad valorem, & libertas ad peccatum; quòd autem in his, & similibus concessionibus nulla sit umbra pecca- ti, constat in facultate à Christo Domino con- cessa ad consecrandum validè cum libertate ad consecrandum illicitè: ex quibus omnibus pa- tet, contra justitiam commutativam quâ talem peccari peccatò justitiæ strictæ obligantis per se ad restitutionem; contra distributivam quâ talem peccatò, & vitiò acceptionis persona- rum; contra legalem quâ talem peccatò oppo- sitò honestati boni communis, licet aliqui cum Turriano disp. 8. de justitiâ, & jure num. 11. doceant, illud peccatum non committi, nisi ex contemptu expressò boni communis; at alij, quos sequitur Cardinalis de Lugo disp. 1. sect. 4. num. 65. docent, posse aliquem lethaliter pec- care infamandò, vel nocendò graviter suâ communitati, etiamsi hoc non faciat ex contemptu, vel odio ipsius.

DISPUTATIO II.

DE NATURA, PROPORZIONE, ET OBJECTO JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ.

61. Cùm sola justitia commutativa sit ea, quæ fundat obligationem restituendi, si jus ejus lædatur, ut constat à num. 18. ea de causa post explicationem, quam dedimus de aliis justitiis, restat, ut de ista deinceps ex professo agamus cum Theologis in toto ferè isto Tractatu; quamquam enim restitutionis nomen, ut habet D. Thomas quæst. 62. art. 1. ad 2. importet iterationem quandam, & ideo secundum primam impositionem nominis restitutio videatur locum habere præcipuè in exterioribus, quæ manentes eadem, & secundum substantiâ, & secundum jus dominij ab uno possunt ad alium devenire; nihilominus sicut ab hujus- modi rebus nomen commutationis translatum est ad actiones, vel passiones, quæ pertinent ad reverentiam, vel injuriam alicujus personæ, seu nocumentum, vel profectum; ita etiam no- men restitutionis ad hæc derivatur, quæ licet realiter non maneant, tamen manent in effectu, vel corporali, puta cum ex percussione læditur corpus, vel qui est in opinione hominum, ut eum aliquis verbò opprobriosò remanet infama- tus, vel etiam minoratus in suo honore; quamobrem justitia commutativa circa ista omnia se extendit, easque omnes commu- tationes, seu quasi commuta- tiones respicit.

SECTIO I.

Quomodo se exerceat justitia commu- rativa.

SUPpono 1. ex Aristotele 5. Ethicorum cap. 62. 2. & ex D. Thomam 2. 2. quæst. 61. art. 3. commutationes alias esse voluntarias; involuntarias alias. Voluntariæ sunt illæ, quæ spon- te fiunt ex utraque parte, ut emptio, venditio, mutuuum, commutatio, locatio, depo- situm, fidei jussio, & id genus aliæ; emptor enim dat pretium intentione commutandi il- lud in rem empram; venditor dat rem, inten- tione commutandi rem in pretium; unde ven- ditio fit spontè ex utraque parte, ideoque est commutatio voluntaria. Pariter mutans dat rem intentione commutandi illam in rem ejus- dem speciei; commodans, ac deponens dat rem uno tempore cum intentione recipiendi eandem numerò rem; locans dat usum rei cum intentione commutandi talem usum in pecuniam.

Fidejussor constituit se debitorem pro alio cum intentione, ut ille alius constituarur de- bitor ipsi; unde omnes istæ conjunctiones spon- te ex

te ex utraque parte fiunt, proindeque sunt commutationes voluntariae. Involuntariae sunt, quae non fiunt sponte ex utraque parte; sed ita, ut primus actus non fiat cum intentione commutandi v. g. furtum; qui enim furatur rem alienam, non furatur cum expressa intentione commutandi, & reddendi vel eandem rem, vel aequalem, licet habeat intentionem aequivalentem, & quasi habitualemente reddendi ex dictis num. 19. qui autem patitur, non sponte patitur, sed invitus; unde solus secundus actus restituendi rem, & reparandi damnum, fit cum actuali, & expressa intentione commutandi, & ponendi debitam aequalitatem, atque ab utraque parte sponte admittitur, ideoque dicitur commutatio voluntaria.

64. Commutationes involuntariae dividuntur ab Aristotele, & D. Thoma in clandestinas, & violentas; clandestinae sunt, in quibus primus actus fit occulte per fraudem, ut communiter sunt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, caedes cum dolo, falsum testimonium, infamatio per occultam detractionem, & id genus alia; violentae sunt, in quibus primus actus fit per violentiam, ut vincula, verberatio, caedes, rapina, mutilatio, convitium, & contumelia; omnes isti actus iniustitiae consistunt in eo, quod aliquis contra jus alterius utatur re, vel personam illius, aut personam sibi conjunctam ipso invito, ideoque sunt iniustitiae contra rem, personam, vel dignitatem alterius, aut contra personam conjunctam; exinde furtum, & rapina distinguuntur in eo, quod furtum est iniuria, per quam quis clam, & per fraudem accipit rem alterius ipso Domino rationabiliter invito.

65. Rapina est iniuria, per quam quis manifeste & per violentiam accipit rem alterius invito rationabiliter Domino. Iniustitiae clandestinae, & violentae specie morali differunt; cum enim virtus, ut ait D. Thomas, consistat in medio deviante ab extremis viciosis, habet extrema specie diversa eidem virtuti opposita. Sic liberalitati opponuntur prodigalitas, & avaritia; cumque malitiae, quae specie morali differunt, explicandae sunt in confessione, iniustitiae clandestinae, & violentae debent in confessione aperiri; & ratio ulterior est, quia per injuriam manifestam irrogatur etiam inhonoratio, cum videatur persona despici; per occultam vero non despicitur, sed videtur ratio ejus haberi, proindeque iniustitiae manifestae sunt per se graviores; unde rapina specie differt a furto occulto, & est iniuria gravior furto; contumelia est iniuria gravior occulta detractione, & sic de aliis. Quomodo materia proxima iustitiae commutativae juxta acceptionem D. Thomae distinguatur ab objecto materiali, dicemus à num. 103.

66. Suppono 2. Pythagoricos, ut docet Aristoteles 5. Ethicorum cap. 5. & dicemus à num. 72. in hoc maxime errasse, quod existimaverint, omne iustum consistere in Talione, quod

appellari solet contrapassum pure physice sumptum, hoc est in eo, quod quis patitur id, quod fecit, ut apud Aeschilum Poetam tragicum statuit Rhadamantus dicens, *quis quod fecit, patiatur, jus erit aequum*, quare dicebant, nihil aliud exigendum ad aequalitatem iustitiae, & ad justam injuriarum satisfactionem, nisi physicam rerum proportionem correspondentem paenae talionis; ita ut si unus alterum alapa percussit, nihil aliud sit necessarium ad aequalem compensationem, nisi quod alapa repercutiatur. Hanc doctrinam, ut ipsi naturae luminis contrariam impugnavit Philosophus, requirens arithmetica proportionem inter paenam, & delictum consistentem non quidem in aequalitate pure physica, sed morali, quam Philosophi doctrinam ut certam amplectuntur omnes Theologi, ut infra dicemus.

Suppono 3. cum D. Thoma contra Scotum, virtutem esse speciem habitus, id est, esse habitum pertinentem ad speciem tendentem imputabiliter ad bonum, & impotentem tendere sub ratione mali, sive ad malum formaliter imputabile; unde non est habitus indifferens, ut contrahatur ad speciem bonitatis, eliciendo actum imputabiliter bonum, & deinceps contrahatur ad speciem vitij eliciendo actum imputabiliter peccaminosum. Ratio est, quia si est virtus per se infusa, habet Deum speciale Authorem: unde non potest habitus ille virtuosus per se tendere ad malum: si est virtus acquisita, generatur, & acquiritur ex repetitione actuum virtutis, proindeque solum inclinatur ad similes actus: cum autem actus virtutis non possit elici circa malum cognitum, ut malum, vel ut imputabile agenti, sed circa bonum saltem ut prudenter cognitum, ac proinde quatenus actus non potest imputari ad formale peccatum, exinde habitus virtutis non potest inclinare ad actum imputabiliter peccaminosum: his positus

68. Affero 1. cum omnibus Theologis: Iustitia commutativa est virtus voluntatis non quidem Theologica, sed moralis. Probat 1. pars. Iustitia commutativa est habitus, quo creatura rationalis redditur stabiliter potens ad operandum ex prudenti representatione boni reddendo unicuique, quod suum est sicutate proprietatis: ut enim habet Aristoteles 2. Ethicorum cap. 6. *virtus moralis est habitus electivus in mediocritate consistens, quae quidem mediocritas ratione praefinita sit, atque ita, ut praeservet ipse prudens*; unde in circumstantiis, in quibus adverterem, Petrum exigere à me suum enssem, ut se interficeret, restitutio ensis esset simpliciter iniusta ab illa circumstantia extrinseca, ideoque non fieret tunc secundum prudentiam, nec procederet à virtute iustitiae, solumque esset iustitia secundum quid, nempe talis, quae esset bona, si à nulla extrinseca circumstantia vitaretur; quare cum habitus iustitiae solum inclinaret ad actum secundum prudentiam, seu secundum rectam rationem, non moveretur

moveretur ab honesto tantum secundum quid, sed ab honesto simpliciter: atqui habitus, qui non inclinatur ad eliciendum actum, nisi quando prudenter proponitur suum objectum simpliciter honestum, est vera virtus non quidem intellectus: nam haec non moveretur ab honestate, sed à veritate: ergo est virtus voluntatis.

69. Confirm. 1. ex Aristotele 3. Ethicorum cap. 8. expressè docente, fortitudinem illam, qua aliqui milites aggrediuntur pericula propter fines non rectos, non esse virtutem; quod idem est de industria militari, & politica, si pravo fine acquirantur; sicut enim opinio non est virtus intellectus, quia ex intrinsicis suis non est incapax falsitatis; ut enim docet ipse Philosophus 6. Ethicorum cap. 8. *opinio fieri potest, ut mentiamur*; ita habitus voluntatis non est virtus, si ex intrinsicis suis non est impotens tendere ad malum saltem imputabile: atqui justitia eo ipso, quòd inclinatur ad compensationem simpliciter honestatem, inclinatur tantum ad bonum, & est impotens tendere ad malum saltem imputabile; ipsum enim lumen naturae dicitur honestum simpliciter esse, & naturae rationali conforme, reddere unicuique, quod suum est, quando ex nullo titulo prohibemur à prudentia: ergo justitia commutativa est virtus voluntatis.

70. Confirm. 2. Nullus Philosophus, aut Theologus agnovit hucusque duas virtutes naturales justitiae commutativae specie distinctas inter eadem saltem extrema v. g. inter Petrum, & Paulum, sed unam duntaxat; ex quo apparet, non participare naturam justitiae commutativae illum habitum, qui ex intrinsicis suis possit tendere ad reddendum alteri, quod suum est, etiam in circumstantiis, in quibus restitutio illa reddetur peccaminosa; bene verò, quando non potest tendere, nisi proponatur cum exclusione omnis malitiae; quare virtute ut principio nemo potest mali uti: unde Augustinus libro 2. de libero Arbitrio cap. 19. ait: *virtutibus nemo male utitur; ceteris autem bonis, id est mediis, & minimis non solum bene, sed etiam male quisque uti potest; & ideo virtute nemo male utitur, quia opus virtutis est bonum usus istorum, quibus etiam non bene uti possumus: nemo autem bene utendo male utitur*: tum etiam Angelicus quaest. 2. de virtutibus explicando virtutem art. 2. in Corpore ait: *requiritur autem, quòd actus sit rectus, & quòd habitus non possit esse principium contrarius*: sed exinde clarè constat, justitiam commutativam esse virtutem voluntatis: ergo &c.

71. Probatum jam 2. Assertionis pars: virtus moralis in eo differt à Theologica, quòd Theologica respicit pro objecto formali quòd aliquid divinum, virtus verò moralis non ita, sed bonitatem creatam, saltem denominativè sumptam: atqui virtus justitiae commutativae non respicit pro objecto formali quòd aliquid divinum, sed honestatem creatam denominativè

sumptam, in eo consistentem, quòd unicuique reddatur, quod suum est sicut proprietatis, quin necesse sit amare jus divinum, ut opus erat ad objectum formale quòd; saepe enim volunt homines restituere debitum inimico, quin inimicum ament, nec illius jus diligant, nec talis tendentia pertinet ad justitiam, sed vel ad Charitatem, vel ad concupiscentiam, ut diximus etiam à num. 52. de virtutibus Theologicis, & infra iterum dicemus: ergo justitia commutativa non est virtus Theologica, sed moralis.

72. Affero 2. cum Angelico quaest. 61. art. 4. cæterisque Theologis contra Pythagoricos: proportio arithmetica, sive justum, quod respicit justitiam commutativam, non stat in pæna Talionis purè physicè considerata, proindeque neque in contrapasso pro ea talionis pæna accepto. Probatum 1. Si Princeps, vel aliquis Magistratù gerens per injuriam percussit rusticum ad ponendam æqualitatem arithmeticam, sive justum, quod commutativa justitia respicit, non debet repercuti, & si repercutiatur, compensatio excedit injuriam; è converso, si rusticus alapà percussit Principem, vel hominem in Magistratu constitutum, ad compensandam injuriam non sufficit, ut rusticus alapà repercutiatur; debet enim majori supplicio plecti; aliter compensatio non esset æqualis, sed minor, quàm injuria illata; siquidem in æstimatione morali injuriæ, & pænae crescunt, & decrescunt ex dignitate majori, vel minori personarum, quibus, vel à quibus inferuntur: sed exinde proportio arithmetica, sive justum, quod respicit justitiam commutativam, non stat in pæna talionis purè physicè considerata, neque in contrapasso pro ea talionis pæna accepto: ergo &c. Confirm. Justitia commutativa intendit, ut in contractibus onerosis emptionis, venditionis, aliisque quasi contractibus par pari referatur, nimirum pretium moraliter æquale rei venditæ; quod si aliter fieret, læderetur humana societas: atqui ut par pari referatur, deturque pretium moraliter æquale, non sufficit ea pæna talionis, seu contrapassi purè physicè considerata, cum ea quandoque sit major, quandoque sit minor, quàm ipsa offensa in æstimatione morali, ut constat ex dictis: ergo &c.

73. Probatum 2. & explicatur ampliùs conclusio: pæna talionis, aut contrapassi physicè considerata aliquando est moraliter major, quàm injuria, atque adeò excedens, & injusta, ut patet in Principe, si alapà repercutiatur à rustico; pateretur enim majorem injuriam, quàm si rusticus percuteretur à Principe; aliquando est moraliter minor, & tunc est deficiens, ut patet in rustico, si alapà repercutiatur, quia percussit alapà Principem; aliquando est moraliter æqualis, & tunc potest esse simpliciter justa, si designetur in pænam; sic rusticus, qui percussit alium æqualem, si percussione ejusdem speciei repercutiatur, pæna illa poterit censeri moraliter æqualis injuriæ, ac proinde justa:

justa: sed exinde patet, proportionem arithmeticam, quam respicit justitia commutativa, non stare in æqualitate purè physica rei ad rem, sed in æqualitate morali: ergo &c.

74. Confirm. ex eo, quòd pœna talionis physicè considerata, licèt sit aliquando æqualis injuriæ, non sit semper æqualis, sed frequenter in æqualis, licèt aliquando statuatur in recompensationem pœna talionis, ut dicitur Exodi 3. *reddet animam pro anima, dentem pro dente, oculum pro oculo, manum pro manu*: sic etiam statutum est aliquibus legibus, ut injustus accusator, si convincatur injustè accusasse, puniatur pœnâ talionis, hoc est eadè specie pœnâ, quâ accusatus punitus fuisset, si delictum ipsi imputatum verum fuisset, & comprobatum: ita, ut qui injustè accusavit alterum de furto, vel homicidio, puniatur pœnâ furis, vel homicidæ: at quia non semper est æqualis, ideò statutum est aliis legibus, ut reus in pœnam patiatur malum majus physicè eo, quod fecit: sic Exodi 22. dicitur, *si furatus fuerit ovem, aut bovem, aut vendiderit, quinque boves pro uno bove restituet, & quatuor oves pro una ove*; qui enim furatus est bovem, præsertim violenter, non solum intulit damnum, quod dici solet injuria realis, sed etiam intulit injuriam contra personam, quæ dici solet injustitia personalis, quam leges considerant ad æqualitatem compensationis metiendam, vel quandoque ad deterrandos alios: sed exinde apparet, non sufficere ad justitiam commutativam æqualitatem purè physicam, si non contineat æqualitatem moralem: ergo &c.

75. Affero 3. Objectum formale justitiæ commutativæ sunt ea omnia, quæ ab ipsâ attinguntur vel ad compensandum, vel ad resarciendum jus proprietatis alterius. Probatur facile, & explicatur simul conclusio. Illud dicitur objectum materiale alicujus virtutis, quod immediatè subjicitur objecto formali talis virtutis: atqui ea omnia, quibus jus proprietatis alterius compensatur, ne lædatur, vel quibus, si læsum fuerit, resarcitur, immediatè subjiciuntur objecto formali justitiæ commutativæ: ergo ea omnia sunt objectum formale justitiæ commutativæ &c. Confirm. Si ex contractu debeo Petro centum, teneor illi reddere centum, ne jus proprietatis Petri lædam, & ut illud compensem; si verò auferendò illi sua lædo jus proprietatis ipsius, ut agam juxta naturam justitiæ commutativæ, opus est, ut non velim auferre Petro sua, proindeque ea, quæ volo auferre, ne lædam jus alterius, dicuntur objectum materiale justitiæ commutativæ per modum fugæ, & recessus; ea verò, quæ dare volo ad compensandum jus alterius, ne illud lædam, vel ad resarciendum, si læserit, dicuntur objectum materiale per modum amplexionis, & accessus: sed hoc perinde est, ac dicere objectum materiale justitiæ commutativæ esse ea omnia, quæ ab ipsâ attinguntur, vel

ad compensandum, vel ad resarciendum jus proprietatis alterius: ergo &c.

Affero 4. Jus activum proprietatis non est objectum formale quod justitiæ commutativæ. Probatur 1. Illud est objectum formale quod alicujus virtutis, quod non solum movet ad amplectendum objectum materiale, quod denominat honestum, vel ad fugiendum, quod denominat inhonestum, illique virtuti oppositum, sed etiam est ratio movens, quam actus ipse virtutis indispensabiliter amplectitur, ut diximus à num. 52. de virtutibus Theologicis. Sic color dicitur objectum formale quod potentia visivæ, quia non solum est ratio videndi alia, sed indispensabiliter etiam videtur, quando videntur alia; non enim possumus videre objecta colorata, nisi videamus etiam ipsum colorem; atqui jus activum, licèt sit ratio movens ad reddendum unicuique, quod suum est, non est ratio indispensabiliter amanda ab actu justitiæ amplectente, & volente compensationem, ut supra diximus: ergo jus activum non est objectum formale quod justitiæ commutativæ. Confirm. Poteest aliquis esse justus absque eo, quòd amet, & velit jus activum alterius; immò quamvis illud oderit, ac velit destruere: ergo jus activum alterius non est objectum formale quod justitiæ commutativæ. Probatur ant. Servus poteest esse justissimus, potèstque velle tribuere Domino omnia, quæ illi debentur ratione dominij, & tamen poteest odisse, ac nolle suam servitutem, sive dominium domini, & curare se redimere à dominio, atque per legitimam redemptionem destruere in se jus Domini: ergo &c.

Probatur 2. & explicatur à priori eadè ratio; quando ratio movens ad actum non movet per convenientiam, sive representata tanquam bonum amabile, possumus amplecti objectum, ad quod movet, quin amplectamur rationem moventem: sic morbus movet ad curationem, & debitum movet ad solutionem; non enim movet morbus, nec debitum per convenientiam, sive propositum ut bonum amabile, ideoque possumus amare eam solutionem, quin amemus morbum, aut debitum; non ita quando ratio movens ad actum movet per convenientiam, sive ut bonum amabile; tunc enim non possumus amare objectum materiale propter formale, quin amemus formale; sic non possumus amare medium, ut bonum ad obtinendum finem, quin eo ipso amemus finem, eo præcisè, quòd finis non aliter nos moveat, nisi quatenus proponitur ut bonum amabile; sic non possumus amare proximum propter bonitatem divinam, quin amem divinam bonitatem, eò quòd bonitas divina non moveat ad talem amorem, nisi ut representata, ut bonum amabile; unde è converso, quando ratio formalis movet, quin representetur ut bonum amabile, possumus quàm optimè amplecti rem, ad quam movet, quin amplectar rationem moventem:

ventem: cumque hoc modo se habeat jus activum relatè ad justum passivum, possum quamoptimè elicere actus justitiæ, quibus volo compensationem juris alterius, quin jus activum alterius amem: sed hoc perinde est, ac dicere, tale jus activum non esse objectum formale quod justitiæ commutativæ: ergo &c.

78. Afero 5. Jus activum proprietatis est objectum formale quo justitiæ commutativæ. Probatur 1. Illud est objectum formale quo alicujus virtutis, quod licet non ametur, est nihilominus ratio indispensabiliter movens ad actus, quibus amplectimur objectum virtutis: atqui jus activum proprietatis, licet non sit id, quod indispensabiliter amatur à justitia commutativa, est nihilominus ratio indispensabiliter movens ad actus talis justitiæ, quibus volumus, & amplectimur compensationem juris alterius: ergo &c. Conseq. tener, & major est definitio objecti formalis quo. Minor verò debet. Ratio, propter quam movemur ad solvendam rem hanc Petro, & non Paulo, est, quia Petrus habet contra nos jus activum, & non Paulus, ideoque tenemur dare juris compensationem Petro, & non Paulo: ergo jus activum alterius est ratio indispensabiliter movens ad actus justitiæ.

79. Confirm. paritate omnium virtutum moralium, quæ sunt ad alterum: Religio enim movet ad cultum Patriæ absolutum offerendum Deo, & non creaturæ; quia in Deo residet suprema excellentia, cui debetur talis cultus; quæ quidem excellentia non residet in creatura, ideoque habet pro objecto formali quo supremam Dei excellentiam; Gratitude, quia vult reddere debita ratione beneficij accepti, quod non est necesse amare, habet pro objecto formali quo beneficium acceptum; Misericordia, quia movetur ab aliena miseria ad succurrendum pauperi, quam quidem miseriam non amamus, habet pro objecto formali quo alienam miseriam; Obedientia, quia ad faciendam rem præceptam, movetur à præcepto, quod non est necesse amare, habet pro objecto formali quo ipsum præceptum: ergo ex eo, quod justitia commutativa moveatur à jure activo alterius, quod non est necesse amare ad reddendum alteri id, quod ille debeat, habebit pro objecto formali quo jus activum alterius.

80. Probatur 2. Objectum formale justitiæ est, quod debetur ex jure activo, non utcumque, sed immediatè subiectum, seu ut formaliter debitum ex tali jure, ut constat ex num. 75. justitia enim vult dare unicuique, quod ipsi ex jure debetur, quia ipsi debetur: atqui dare alteri id, quod ipsi debetur, quia ipsi debetur, est formaliter moveri à jure activo alterius, sive formaliter respicere jus activum alterius tanquam rationem formalem non necessariò amatam ad actum justitiæ, in quo quidem stat objectum formale quo: ergo jus activum alterius est indispensabiliter objectum formale quo justitiæ commutativæ. Confirm. Ed quod de-

tur in Petro jus activum contra Paulum, ut Paulus illi solvat centum, illa centum reverà denominantur debita ab ipso jure; quamquam enim jus activum proprietatis non sit debitum, ea tamen, quæ jus exigit, debita sunt, & reverà suscipiunt denominationem debiti; cumque justitia commutativa velit solvere tale debitum, quia debitum est, vult ideo solvere centum, quia jus activum erga illa residet in altero: sed in eo stat, quod jus activum proprietatis alterius sit objectum formale quod justitiæ commutativæ: ergo &c.

Afero 6. Honestas simpliciter denominativè sumpta, quam amplectitur actus justitiæ commutativæ, eam propter suam honestatem amandò, est objectum formale quod justitiæ commutativæ. Probatur 1. Qui vult solvere alteri, quod suum est, quia suum est, illudque solvit per actum virtuosum justitiæ, illud vult, & reddit alteri, quia hic, & nunc simpliciter est honestum, ut constat à num. 68. proindeque amat, & movetur ab honestate illa denominativè sumpta: sed in eo stat, quod honestas illa justitiæ sumpta denominativè sit objectum formale quod justitiæ commutativæ: ergo &c.

Confirm. & explicatur hæc ratio: Objectum materiale, quod actus virtutis amplectitur propter suam honestatem denominativè sumptam, denominatur honestum ab objecto suo formali, sive respiciat objectum formale per convenientiam, sive per non convenientiam; sic Superior volens punire subditum, quia peccavit, vult honestatem punitionis, quam peccatum denominat honestam per non convenientiam, immò & per contrarietatem; ex eo enim, quod peccatum sit malum, punizio est justa, immò punizio non esset justa, si peccatum aut reale, aut juridicum non præcessisset, proindeque punizio denominatur honesta à peccato per non convenientiam, non minus, quam solutio debiti denominatur honesta per non convenientiam à jure activo alterius, quod præsupponit, quin necesse sit illud indispensabiliter amare, quamvis actus justitiæ amet honestatem simpliciter denominativè acceptam, ut constat à num. 76. sed in eo stat, quod ea honestas denominativè accepta sit objectum formale quod justitiæ commutativæ: ergo &c.

Probatur 2. Illud est objectum formale quod justitiæ commutativæ, à quo movetur, quodque amplectitur indispensabiliter actus virtuosus talis justitiæ, ut constat à num. 76. atqui actus virtuosus justitiæ commutativæ movetur ab honestate simpliciter solutionis denominativè sumpta, quam indispensabiliter amplectitur; ex eo enim aliquis vult per actum virtuosum commutativæ justitiæ solvere debitum, quia honestum est in illis circumstantiis solvere alteri, quod suum est, quod perinde est, ac respicere, & amplecti solutionem, ut simpliciter denominativè honestam: ergo &c.

C 2

Confirm.

84. Confirm. Inter objectum materiale, & formale quod non est necesse, ut intercedat distinctio realis; sed fat est, quod intercedat distinctio formalis ex modo concipiendi. Sic actus vitalis, qui est realiter ens, ut ens pertinet ad Metaphysicam; ut vitalis ad Animaliticam; sic Bonitas Divina amata propter se ipsam ab actu Charitatis respicitur à Charitate ut objectum materiale, & formale; ut materiale quatenus amar illam; ut formale, quatenus amar propter ipsam, & quæcunque alia amantur per Charitatem, attinguntur amando divinam bonitatem propter ipsam; in quo stat, quod Divina Bonitas sit objectum formale quod Charitatis: atqui etiam ille, qui per actum virtuosum solvit alteri, quod illi ex justitia commutativa debet, vult dare illi solutionem repræsentatam simpliciter honestam, ac proinde attingit solutionem ut objectum formale, eamque vult dare, quia in illis circumstantiis denominatur simpliciter honesta, proindeque attingit eam honestatem denominativam ut objectum formale, arque à solutione ut denominativè honesta, & amata movetur indispensabiliter ad faciendum, quidquid facit solvendo per actum virtuosum justitiæ commutativæ: ergo honestas illa simpliciter denominativè sumpta est objectum formale quod justitiæ commutativæ.
85. Quapropter actus justitiæ commutativæ reclus, & virtuosus non amplectitur honestatem solutionis quidditivè sumptam, sed simpliciter, & denominativè tantum acceptam. Ratio ex sæpe alibi dictis est, quia solutio simpliciter honesta debita, quæ debita quidditivè sumptæ includit solutionem, quæ debetur tanquam objectum materiale, & formale quod, atque jus activum, ratione cuius debetur tanquam objectum formale quo; cumque actus virtuosus justitiæ commutativæ non amet indispensabiliter jus activum alterius, ut constat à num. 76. exinde non amat honestatem solutionis quidditivè sumptam, proindeque non respicit illam tanquam objectum formale quod; honestas autem solutionis simpliciter denominativè tantum accepta solum includit id, quod sustinet denominationem solutionis simpliciter justæ, quam vult, & amplectitur, quia denominatur simpliciter justa, & honesta; ita ut non possit aliter exerceri actus virtuosus justitiæ commutativæ, ut constat à num. 68. quod idem est, ac dicere; eam honestam simpliciter denominativè acceptam esse objectum formale quod justitiæ commutativæ; quæ doctrina generalis est ad omnes virtutes intendentes honestatè denominativè acceptam, & provenientem ab aliquo objecto purè formali quo, quales scilicet sunt virtutes Religionis, Obedientiæ, Misericordiæ, Pœnitentiæ, & id genus aliæ. Ex dictis
86. Fit 1. Jus passivum suscipiens denominationem justæ, & debiti à jure activo esse quidem honestum secundum id, quod dicit denominativè. Ratio est, quia honestum est reddere

alteri, quod ipsi ex jure activo debetur; per quod, ut ipso naturæ lumine patet, non significatur, quod reddatur jus activum, sed quod reddatur id, quod exigitur, & denominatur debitum à jure activo; quod ab omnibus Theologis appellatur jus passivum; unde jus passivum denominativè sumptum, ut contradistinguitur à jure activo, est honestum; licet enim denominatio moralis dari non possit, quin fundetur in forma physica, nihilominus, quando forma physica non denominat se ipsam, sed objectum honestas moralis denominativè sumpta non stat in ea forma physica, sed in objecto denominato; neque reponi potest in objecto denominato quidditivè, sed tantum denominativè sumpto.

Quapropter in objecto denominato prout ab actu virtuosus justitiæ attingitur, considerandæ sunt duæ formalitates; altera quidem objecti immediatè tacti, ratione cuius dicitur objectum materiale talis actus; altera honestatis denominativè acceptæ, ratione cuius attingitur, & propter hanc honestas illa denominativa dicitur objectum formale; rursus cum objectum illud nunquam attingatur, nisi propter honestatem denominativam formaliter ab objecto materiali distinctam, non solum est ratio tacta, sed etiam ratio, propter quam attingitur; in quo stat, quod objectum illud honestum denominativè sumptum sit objectum formale quod justitiæ commutativæ.

Fit 2. Possit quandoque haberi actus justitiæ specie diversos ex diversitate specifica personarum, contra quam fit injustitia, arque etiam ex diversitate specifica statuum, ad quos aliquæ personæ pertinent, ut latè tradit Cardinalis de Lugo disp. 1. à num. 39. Ratio est, quia justitia consistit in medio; unde si per extrema specie distinct, sive ratione sui, sive ratione statuum fiat contra justitiam, orientur exinde in linea morali injustitiæ specie distinctæ. Sic læsiones in fama, & honore hominis, & Dei differunt specie explicanda in confessione; quia jus, quod Deus habet in bona sua longè diverso modo, refertur ad Deum, quàm jus, quod homo habet ad bona sua, refertur ad hominem: ad Deum enim pertinent illa per dominium, essentialiter, quo Deus privari non potest, nam jus illud divinum fundatur in essentia divina, ratione cuius est Dominus omnium creaturarum, cumque Deus privari non possit essentia divinâ, exinde privari non potest jure proprietatis respectu creaturarum.

Jus autem ad bona sua pertinet ad hominem accidentaliter, & ex concessione divina, juxta illud ad Romanos 13. non enim est potestas, nisi à Deo; unde homo privari potest à Deo tali jure, & Deus illud potest alteri concedere; quo in casu alter possit licite, & justè privare alium usu earum rerum, quas habebat. Sic concessit Deus olim jus Israelitis circa plura bona Egyptiorum; quare jus divinum est longè perfectius, & altius jure humano, proindeque

dēque, qui illud lædit, quamvis idem bonorum genus respiciat, lædit jus specie diversum à jure hominum; unde facit actum injustitiæ specie diversum ab actu injustitiæ contra hominem, magisque diversum, quàm læsio famæ à læsione fortunarum ejusdem hominis; exinde censent aliqui, injuriam contra Angelum, & hominem non esse specie diversam, si præcisè referantur ad jus læsum, quia utrobique læditur jus accidentale collatum à Deo.

90. Si autem injuriæ istæ referantur ad status diversos hominis viatoris, & Angeli Beati, evadent actus injuriæ specie diversi; nam injuria, vel inhonoratio Angeli esset contra cultum, & Religionem illi debitam propter statum Beatitudinis, qualis non esset inhonoratio contra hominem viatorem, ac proinde illa injustitia contra Angelum saltem haberet malitiam distinctam ab injustitia purè sumpta, & sic contineret utramque malitiam; quod idem dicendum est de inhonoratione hominis viatoris, & hominis Beati; unde etiam patet, circa eandem specie virtutem posse ex aliis titulis dari vitia opposita, specie diversa; ex eodem fundamento censent, aliquas injustitias contra defunctos aperiendas esse in confessione ad intelligendam earum malitiam, quia vel defunctus est beatus: & tunc inhonoratio illa, vel infamatio habebit speciem irreligionis, quam num superiori diximus esse in Sanctorum Angelorum inhonoracionem; vel est damnatus; & tunc nulla videtur esse posse gravis inhonoratio, vel infamatio circa personam omninò infamem, & nullo honore dignam, & quæ saltem quoad affectum omnium vitiarum genere turpis est; cæterum hæc ratio non tam probat declarandam esse circumstantiam personæ defunctæ, quàm circumstantiam Beati, seu damnati, quæ nobis rarè constare potest.

91. Quamobrem Cardinal de Lugo num. 41. expressè docet, neutrum per se loquendò declarandum esse in confessione; nam inprimis loquendò de homine damnato, falsum est, quòd nequeat injustè infamari, quia non obstante infamia illa vitiarum, quibus scaret in inferno, retinere potest bonam famam circa multa, quæ vivens gessit, quæ bona fama injustè læderetur per infamiam ordinis valde diversi ab ea infamia damnationis; loquendò autem de Beato, præsertim declarato, & acceptato ab Ecclesia, (nam de Beato, qui privatà tantùm notitià crederetur, fortè aliter dicendum esset) distinguendum est inter inhonoracionem ob præcisam infamacionem; nam ea inhonoratio præter malitiam injustitiæ referret secum speciem irreligionis; infamatio verò excludens inhonoracionem non ita; verùm de his agendum latè nobis est, quando sermo sit de restitutione famæ, & honoris.

92. Fit 3. Actum justitiæ essentialiter supponere jus in altero, & debitum in elicente ad compensandum in altero jus suum; ratio est, quia justitia tendit ad adæquandum, & compensan-

dum jus suum alterius, ergo præsupponit tale jus, & debitum ad compensationem; an autem sufficiat, quòd jus præcesserit, & debitor se ipso non satisfecerit, quamvis satisfactio pro ipso facta sit ab altero, vel Deus juri suo cesserit, valde inter se dissident Turrianus disp. 1. dub. 2. & Cardinal de Lugo disp. 1. sect. 1. censet enim Turrianus, non posse elici actum justitiæ, si Dominus, quomodocumque sit, jam cesserit juri suo; quia post illam cessionem extinctum est jus, & perinde se haber, ac si non præcessisset; cùmque non possit dari actus justitiæ, si jus illud non præcesserit; ita nequit dari, si jus jam sit extinctum. Econtra Cardinal. de Lugo à num. 24. fuisse contendit, omnino dicendum esse, posse in eo casu exerceri actum justitiæ; quia si jus illud non præcessit, non potest dici, quòd ego debui, & per me ipsum non satisfeci; unde non potest lumen naturæ dictare, quòd ego ponam justam aliquam æqualitatem cum jure, quòd præcessit.

93. Si verò jus illud præcessit, & ego non satisfeci, quamvis Deus cesserit juri suo, est verum dicere, quòd debui, & non satisfeci; quo in casu ipsum lumen naturæ dictat, honestum esse adæquare, quantum possit jus illud, quòd præcessit ex honestate adæquandi utcunque tale jus; unde quamvis jus illud sit jam extinctum, manet locus ad actum justitiæ, sive strictæ, sive latæ, quo videtur respicere Scriptura Jeremiæ, dum ait: *vide, quàm malum, & amarum est, reliquisse te Dominum Deum tuum*; quòd exinde dictum esse videtur, ut non solum peccatores, sed etiam justi, quibus jam Deus remisit peccata cedendo juri ad inimicitiam, & punitionem, possint honestè operari ad compensandum utcunque jus divinum, quòd præcessit ab honestate compensandi jus illud, quòd reverà pertinet ad justitiam, saltem latam, ad illam nempe, quæ reposita inter creaturam, & Deum omnium Creatorem; censeo tamen, utramque sententiam conciliari posse, si dicitur, in eo casu non posse elici actum justitiæ effectivè debitum, bene verò debitum affectivè, nempe ex honesto affectu compensandi utcunque jus illud à me non compensatum, quòd videtur innegabile, cùm circa peccata jam remissa possimus elicere veros pœnitentiæ actus ad eam justitiam pertinentes; vide, quæ dixi cum D. Thoma, & Suario num. 76. de virtute Pœnitentiæ.

94. Fit 4. Ex dictis facilè intelligi modum loquendi S. Thomæ quæst. 58. art. 10. dicentis: justitiam commutativam attingere medium rei; alias verò virtutes medium rationis; non enim vult dicere, quòd actus justitiæ commutativæ non ducantur ratione, neque negat, alias virtutes habere, ut medium rei in suis objectis, in quo stat eorum honestas objectiva, sed solum vult, quòd medium justitiæ solummodo commensuratur cum jure alterius ad res suas, quòd facilè cognosci potest attendendo ad jus,

jus, & objectum juris; in objecto verò aliarum virtutum opus est majori consilio rationis ad inveniendum medium honestum, v. g. ad inveniendum medium honestum in Temperantia, opus est considerare cibi quantitatem, & qualitatem stomachi, vires naturæ, indigentiam &c. in quibus nequit dari regula generalis ad inveniendum medium, & ideo dicitur medium rationis, hoc est operosiori consilio rationis inveniendum.

95. Ex quibus facile habetur, quo sensu dixerit D. Thomas art. 9. justitiam esse circa actiones, non circa passiones, ut sunt aliæ virtutes; non enim perinde negatur, quòd aliæ virtutes sint circa actiones, cum omnes sint regula actionum humanarum; neque negatur, justitiam saltem secundario moderari passiones; cum certum sit, justitiam, quæ inclinat ad servandum illæsum omnium jus, eo ipso moderari avaritiam, qua velit homo retinere aliena, & iram, qua velit contra justitiam occidere: solum ergo vult, quod primario curat justitia de actionibus rite ad alterum disponendis, servandò, aut compensandò alteri jus suum, ex quo secundario sequitur, quòd mansuetudo emperet iram, liberalitas avaritiam, fortitudo timorem, quibus trahi posset homo ad lædendum jus per suas actiones: e contra verò aliæ virtutes Cardinales voluntatis, ut temperantia, & fortitudo primario moderantur passiones gulæ, & ignaviæ, quæ propterea dicuntur præcipue versari circa passiones.

SECTIO II.

Solvuntur Opposita.

96. **O**bjicies 1. contra 1. Assertionem: de ratione virtutis est, ut docet Augustinus libro 2. de libero arbitrio cap. 18. & 19. & D. Thomas 1. 2. quæst. 55. art. 2. ut eà nemo possit malè uti efficiendò actum formaliter malum, seu impurabiliter peccaminosum; atqui habitu acquisito justitiæ possumus malè uti eliciendò actum formaliter malum, seu imputabiliter peccaminosum; ergo justitia acquisita non est virtus. Probatum min. habitu justitiæ acquisitæ possumus uti ad faciendos omnes actus, qui moventur ab honestate tribuendi unicuique id, ad quod habet jus; sed actus formaliter malus, sive imputabiliter peccaminosus moveri potest à tali honestate: ergo &c. Probatum min. cum Petrus deposuerit gladium suum apud Paulum, ac deinde illum reperit, ut vel se, vel alterum injustè interficiat, potest Paulus reddere gladium Petro propter honestatem reddendi unicuique, quod suum est; atqui reddendò gladium in ea occasione peccat; ergo ex objecto formali justitiæ, atque adeò per habitum justitiæ potest fieri actus formaliter malus, & imputabiliter peccaminosus.

97. Resp. neg. min. Ad prob. dist. maj.

ab honestate tantum secundum quid, nego; ab honestate simpliciter, sive à nulla circumstantia extrinseca vitiata, conc. maj. & dist. min. neg. conf. Ad probationem dist. maj. per honestatem tantum secundum quid, concedo, propter honestatem simpliciter nego, maj. & conc. min. nego consequ. Ratio est, quia objectum formale virtutis voluntatis, ac perinde justitiæ commutativæ non est honestas sumpta tantum secundum quid, sed simpliciter, ut cum Philosopho, Augustino, & D. Thoma diximus num. 68. cum autem in illis circumstantiis non detur honestas simpliciter, sed tantum secundum quid, exinde in illis circumstantiis non representatur objectum formale justitiæ, proindeque non potest tunc eliciri actus virtuosus justitiæ; quapropter hoc dictamen, honestum est tribuere alteri jus suum, seu jus suum est unicuique tribuendum, prout reducitur ad dictamen lumine naturæ per se notum, seu ad legem naturalem, non præscindit ab honestate simpliciter, sine qua non daretur actus honestus approbatus lumine naturæ, sed potius inhonestus, & reprobatus.

Objicies 2. Habitus justitiæ commutativæ est indifferens, ut sit vitium, vel virtus; ergo non est reverà virtus. Probatum ant. habitus inclinans ad aliquid, quod est indifferens, ut sit virtus, vel inhonestum est, indifferens, ut sit virtus, vel sit vitium; atqui habitus justitiæ inclinans ad aliquid indifferens, ut sit honestum, vel inhonestum, inclinans ad restitutionem rei debitæ, quæ quidem restituta aliquando est honesta, aliquando inhonesta, ut constat in suprädicto exemplo gladij. Confirm. habitus indifferens, ut generetur, vel augeatur, vel per actus honestos, vel inhonestos, est indifferens, ut sit virtus, vel vitium; sed habitus justitiæ commutativæ, quo tribuitur unicuique, quod suum est, est indifferens ad hoc, ut generetur, & augeatur per actus honestos, vel inhonestos. Hoc affertur à Scoto dist. 17. in 3. quæst. 2. §. *quantum ad istum articulum*, ubi docet, habitum naturalem justitiæ commutativæ non esse essentialiter virtutem, sed contingenter, scilicet quando conjungitur cum dictamine rectæ rationis dictantis hinc, & nunc honestum esse tribuere alteri id, ad quod habet jus; cæterum hæc facile diluuntur ex Doctrina Philosophi, Augustini, & D. Thomæ suprâ adducta.

99. Resp. neg. ant. Ad prob. omitto maj. quæ falsa est; habitus enim indifferens ad id, quod est honestum, vel in honestum, non habet pro objecto formali honestatem simpliciter, quod necessarium erat, ut esset virtus; unde talis habitus non esset virtus, sed ad summum indifferens, ad eum modum, quo voluntas potest elicere actus vitiosos, & virtuosos, & alios, nò est virtus, sed potentia indifferens ad utrumque; cæterum permissa maj. neg. min. nam justitiæ commutativæ habitus non inclinans ad aliquid, quod sit indifferens, ut sit honestum, & in-

& inhonestum, sed tantum inclinatur ad honestum; habet enim pro objecto formali honestatem simpliciter, ut constat à num. 81. Ex qua provenire non potest actus formaliter inhonestus, aut imputabiliter peccaminosus, bene verò actus formaliter honestus, & virtuosus. Exinde ad confirmationem omitto simpliciter maj. & nego min. nam habitus justitiæ commutativæ non est indifferens, ut generetur, & augeatur per actus formaliter inhonestos, sed determinate generatur, & augetur per actus formaliter, & imputabiliter honestos.

100. Quin potius, si actus illi aliquando essent materialiter mali, eò quòd agens invincibiliter non adverteret aliquas circumstantias malitiæ; quod satis est, ut actus sit materialiter malus juxta illorum Doctorum sententiam, de qua meminimus à num. 760. De virtutibus Theologicis nunquam est formaliter, & imputabiliter peccaminosus, quod satis est, ut habitus justitiæ commutativæ non possit generari, & augeri per actus formaliter inhonestos; bene verò per honestos; at juxta sententiam illam, de qua ibidem meminimus, quæ docet, in eo casu actus non tantum manere formaliter non peccaminosus, sed etiam esse formaliter honestos, habitus justitiæ commutativæ nunquam poterit generari, & augeri, nisi ab actibus formaliter honestis; cæterum ad rem nostram satis est, ut possit generari, & augeri ab actibus formaliter honestis, & non ab actibus aliter inhonestis, quod clarè deducitur ex principiis cujuscunque ex illis duabus sententiis.

101. Objicies 3. ex Pythagoricis contra secundam assertionem: Justitia commutativa in eo differt à distributiva, quòd hæc respicit proportionem geometricam, illa verò arithmetica; atqui in contrapasso, sive in pena talionis purè physicè considerata datur proportio arithmetica; ergo justum, quòd respicit justitiam commutativam, est idem, ac contrapassum, sive pena talionis purè physicè considerata. Confirm. 1. Judicium divinum est semper justum; atqui in eo consistit pena talionis purè physicè considerata; aliter non diceretur Matth. 7. in quo *judicio judicaveritis, judicabimini, & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*: ergo &c.

102. Confirm. 2. Justitia distributiva respicit etiam moralem æqualitatem arithmetica, non verò physicam; ergo justitia commutativa tantum respicit æqualitatem arithmetica purè physicam; sive quòd idem est, contrapassum, aut penam talionis purè physicè consideratam. Confirm. 3. Si justum, quòd respicit justitiam commutativam, non esset idem, ac contrapassum in sensu explicato defumeretur, & differentia voluntarij, & involuntarij eò quòd, qui involuntariè fecit injuriam, quia peccavit minus, minus puniatur; atqui hæc ratio nulla est; siquidem voluntarium, & involuntarium, quæ accipiuntur ex parte nostra, non diversificant

medium justitiæ, quòd est medium rei quoad se, & non tantum quoad nos: ergo &c.

Resp. dist. maj. quoad secundam partem: 103. commutativa verò arithmetica moraliter sumptam, conc. purè physicè consideratam, nego maj. & dist. min. neg. conseq. Ad 1. Confirm. neg. min. Quia in judicio Divino non solum attenduntur actiones naturæ purè physicè inspectæ, sed præsertim secundum bonitatem, aut malitiam moralem consideratæ; atque in eo sensu correspondet illi præmium, aut supplicium, cum eo tamen discrimine, quòd Deus non solum æqualiter, sed etiam superabundanter præmiat ultra condignum, & puniat citra condignum, ductus suâ misericordiâ, etiam cum damnatis, quin exinde dici possit, attendi solum ad proportionem physicam; siquidem attenditur potius proportio moralis.

Ad 2. Confirm. neg. ant. Nam justitia Distributiva, ut constat ex num. 4. non attendit ad jus proprietatis, sed ad geometricam proportionum, quæ non est moraliter arithmetica, cum sit excedens respectu unius, & excessa respectu alterius; unde D. Thoma 2. 2. quæst. 81. art. 4. ad 2. ait. in distributiva enim justitia non attenditur æqualitas ejus, quòd quis accipit ad id, quòd ipse impendit, sed ad id, quòd aliàs accipit secundum modum utriusque personæ. Ad 3. Confirm. neg. min. Quia ex eo quòd justitia commutativa attendat ad medium rei in conferendis præmiis, & suppliciis, & injuria voluntariè facta sit major, per quæ involuntariè fit, debet omnino ad compensandum medium rei attendere ad voluntarium, & involuntarium; unde idem D. Thomas art. 4. ad 3. ait. quando actio injuriola est voluntaria, excedit injuriam, & sic accipitur, ut major res; unde oportet majorem penam ei recompenari, non secundum differentiam quoad nos, sed secundum differentiam rei.

Objicies 4. contra 3. Assertionem: objectum materiale justitiæ commutativæ est æquale juri creditoris; atqui æquale non solum stat in eo, quòd ponitur ad compensandum jus, sed etiam stat in ipso jure activo creditoris; æqualitas enim est relatio prædicamentalis, quæ non consistit in solo termino, sed etiam in fundamento: ergo & objectum materiale justitiæ commutativæ non solum est id, quòd attingitur ad compensandum jus alterius, sed etiam est jus activum alterius. Confirm. Non solum attingit ad justitiam commutativam velle dare alteri, quòd suum est, sed etiam velle, & amare jus alterius; ergo objectum materiale justitiæ commutativæ non solum est, quòd attingitur à justitia commutativa ad compensandum, vel refarciendum jus alterius, sed etiam est ipsum activum alterius.

Resp. dist. maj. est æquale quidditative 106. sumptum, nego, denominative acceptum, conc. maj. & dist. pariter min. neg. conseq. Ratio est, quia

quia licet æquale quidditative sumptum includat jus alterius; at sumptum denominative non includit, nisi id, quod sustinet denominationem debiti, & reddendi alteri habenti jus, ut jus ejusdem compenferur, ut à num. 36. Ratio à priori est, quia ad justitiam, quæ est virtus voluntatis, non attinet, se extendere ad ea omnia, ad quæ se extendit intellectus repræsentans jus activum alterius, & id, quod illi debetur; sed attinet ad illam tendere ad id, ad quod obligatur ex ea prævia intellectus repræsentatione, cumque solum maneat obligatio compensandi jus activum, ponendò justum denominative sumptum, exinde justitia commutativa non amat justum quidditative, sed denominative sumptum; vide plura alia circa hoc à num. 56. de virtute Pœnitentiæ.

107. Ad Confirm. neg. ant. quia ut constat ex num. superiori ad justitiam commutativam solum spectat compensare jus alterius, sive præservative, ne lædatur, sive reparative, ut læsum resarciatur; hoc autem munus nequaquam exercetur amandò jus activum alterius, sed volendò, & apponendò jus passivum, quod duntaxat est debitum; unde hoc solum debet amari, & apponi à justitia commutativa; jus enim activum non est debitum, sed est id, propter quod jus passivum debetur, ut ex terminis patet; quare justitia commutativa non respicit tanquam objectum materiale jus activum alterius. Nec refert, quòd jus passivum, quod amatur, non possit haberi absque jure activo præcedenti; nam hoc commune est cuicumque puro termino, & objecto formali *quo*, cum hæc necessariò debeant præcedere; sic judex moverur ex delictis ad elicendum actum justitiæ vindicativæ, ut obtineat honestatem puniendi delicta, & tamen non potest honestè velle, & optare, ut fiant delicta ad obtinendam honestatem punitionis; quod idem est de Medicina respectu ægritudinis, de Pœnitentia respectu peccati, & de millenis aliis.

108. Objicies 5. contra 4. Assertionem: jus activum alterius non potest esse objectum formale *quo* justitiæ commutativæ, quin eo ipso sit objectum formale *quod*; atqui juxta nostra principia, ut constat à num. 78. est objectum formale *quo*: ergo etiam est objectum formale *quod*. Probatur maj. qui amat honestatem ponendi actionem conformem juri activo alterius, non amat solum aliquid indifferens ad habendam, vel non habendam hanc honestatem: atqui actio conformis juri activo alterius, prout ab eo jure activo justitia est indifferens ad habendam, vel non habendam eam honestatem conformitatis cum jure activo, & ut habens talem honestatem conformitatis constituitur partialiter per jus activum alterius: ergo, qui amat honestatem ponendi actionem conformem juri activo alterius, non solum amat actionem, sed etiam amat jus activum alterius; quod perinde est, ac non posse respicere jus

activum alterius ut objectum formale *quo*, quin illud respiciat, ut objectum formale *quod*.

Confirm. Eo ipso, quòd pœna sit per se ipsam indifferens, ut sit proportionata, vel improporcionata culpæ ad hoc, ut sit justa, vel injusta, constituitur proportionata per ipsam culpam; unde qui per justitiam vindicativam amat pœnam ut justam, & ut proportionatam culpæ, non solum amat pœnam, sed etiam ipsam culpam; si enim amaret solum pœnam, prout contra distinguitur à culpa, amaret ipsam pœnam solum, ut est indifferens ad hoc, ut sit proportionata, vel improporcionata, culpæ quod est absurdum: ergo etiam, qui amat compensationem ut justam, sive ut æqualem juri alterius, eo ipso amat jus alterius; hoc argumentum impulit Cardinalem de Lugo in tractatu de Pœnitentia ad asserendum actum Pœnitentiæ præsupponentem peccatum esse aliqualem amorem peccati: cæterum id asserere ex ipsis terminis apparet absurdum, neque argumentum istud ullo modo cogit ad id asserendum. Quare.

109. Resp. neg. maj. Ad prob. dist. maj. non amat aliquid indifferens intrinsecè, & entitative, nego, extrinsecè, & denominative, conc. maj. & dist. pariter min. neg. conseq. Ratio est, quia id, quod est justitia commutativa, solvitur Petro habenti jus ad illud, nequaquam exigit ex suis intrinsecis, quòd Petrus habeat tale jus, ac proinde intrinsecè, & entitative est indifferens, ut supponat, vel non supponat illud jus Petri. Cæterum ex suppositione, quòd præcedat tale jus, non manet jam extrinsecè indifferens, ut suscipiat, vel non suscipiat ab eo jure denominationem debiti; sed denominatur extrinsecè ab ipso jure ad suscipiendam hanc extrinsecam denominationem; ita tamè, ut jus activum non suscipiat eam denominationem debiti, sed illam suscipit duntaxat jus passivum; cum autem justitia solum exigat id, quod est extrinsecè, & denominative debitum, exinde solum exigit amplexionem juris passivi, non autem juris activi; quare jus activum non amatur à justitia, proindeque manet duntaxat objectum formale *quo* respectu justitiæ; unde.

110. Ad Confirm. dist. ant. constituitur proportionata per ipsam culpam, si constitutio sumatur quidditative, omitto, si sumatur denominative, neg. ant. & conseq. Ratio ex dictis est, quia res illa proportionata denominative sumpta non est ea forma, quæ denominat, sed est subjectum, quod ab ea forma extrinsecè denominatur, & suscipit denominationem; unde quando à culpa præcedente mala ut osto, pœna ut 8. denominatur proportionata, & ad æqualitatem infligenda, id, quod est denominative proportionatum, & infligendum, atque sub eo conceptu amatur à justitia vindicativa non est culpa, sed pœna.

111. Quamobrem pœna ut denominative proportionata

tionata culpæ amatur à justitia vindicativa nequaquam amatur, quatenus est extrinsecè indifferens, ut sit, vel non sit proportionata culpæ; sed quatenus est extrinsecè proportionata, & ab ipsa culpa præcedente suscipit actu denominationem proportionatæ; quare intellectus illuminando voluntatem, ut eliciat actum justitiæ vindicativæ proponit voluntati & culpam præcedentem, & pœnam infligendam culpæ proportionatam, at voluntas non amplectitur id omne, quod representatur per illam expressionem intellectus, sed quod representatur proportionatum, & suscipit denominationem proportionati à culpa præcedente; unde idem suo modo dicendum est de iure passivo, quod commutativa justitia respicit relate ad ius activum, à quo denominatur proportionatum. Vide à num. 115.

113. Objicies 6. contra 5. Assertionem. Jus activum alterius est purus terminus præsuppositus respectu justitiæ commutativæ: atqui purus terminus non est obiectum formale *quo*: ergo ius activum alterius non est obiectum formale *quo* justitiæ commutativæ. Resp. dist. maj. est purus terminus præsuppositus, quatenus *ly purus* significat ius præsuppositum ad amorem, & non amatum conc. quatenus significat ius purè præsuppositum, & non movens ad amorem alterius neg. maj. & distincta pariter mi. neg. conseq. Explico distinctionem. Dupliciter potest aliquid quin terminet amorem præsupponi ad amorem alterius, atque in eo sensu datur duplex genus puri termini. Primo quidem si præsupponatur ad amorem alterius, quin ad talem amorem moveat, sicut dici solet de intentione Ministri, quæ præsupponitur ad constitutionem Sacramentorum, quin ad eorum amorem moveat; & sicut dicitur de operibus naturalibus relate ad collationem aliquorum auxiliorum supernaturalium gratiæ, & tunc est purus terminus non includens motionem ad amorem ejus rei, cujus est purus terminus, proindeque est purus terminus, & non obiectum formale *quo*.

114. Secundo potest aliquid quin terminet amorem movere ad amorem, & ad illum præsupponi, quo in casu dicitur respectu amoris purus terminus, & obiectum formale *quo*. Sic delicta non amata à iudice præsupposita ad punitionem, & moventia ad amandam, & volendam justam punitionem, sunt purus terminus præsuppositus ad amorem punitionis, & obiectum formale *quo* respectu talis amoris; cum autem ius activum alterius quantumvis non ametur à justitia commutativa amplectente, & amante jus passivum præsupponatur ad illum amorem, atque ad eum moveat, ut constat à num. 78. & 83. exinde est purus terminus spectans non quidem ad primum, sed ad secundum genus puri termini, proindeque est purus terminus, & obiectum formale *quo* justitiæ commutativæ; quod quidem commune

R. P. Gorman Theolog. Tom. II.

est omni obiecto formali moventi per non convenientiam ad amorem sui obiecti materialis, ut constat: ex num. 76. & 79.

115. Objicies 7. contra 6. Assertionem. Non potest voluntas amplecti honestatem juris passivi denominativè sumptam, ratione ipsius honestatis, quin amplectatur jus activum, à quo jus passivum denominatur honestum: ergo si jus activum non est obiectum formale *quod*, neque honestas juris passivi denominativè sumpta, poterit esse obiectum formale *quod* justitiæ commutativæ. Prob. ant. Non potest intellectus cognoscere honestatem iuris passivi denominativè sumptam à jure activo provenientem, quin per eundem actum cognoscat jus activum: ergo non potest voluntas amplecti eandem honestatem, quin per eundem actum amplectatur jus activum. Resp. neg. ant. Ad prob. conc. ant. & neg. conseq. Ratio est, quia intellectus est potentia necessaria, ac proinde non potest proponi unum, ut cognoscibile per aliud, quin cognoscat unum, & aliud; sic non potest proponi medicina ut utilis ad hanc ægritudinem, quin cognoscat simul medicina, & ægritudo; neque proponi potest hoc opus honestum, ut utile ad penitentiam pro peccato commisso, quin cognoscat simul hoc opus honestum, & peccatum commissum.

116. At voluntas est potentia libera, quæ ex iure libertatis suæ potest ex duobus, quæ per intellectum proponuntur, unum eligere, & amare, & alterum non amare. Sic quando proponitur medicina utilis ad hanc ægritudinem, quamoptimè amat medicinam, quin amet ægritudinem, imò eam odio habet; sic etiam, quando proponitur, hoc opus honestum utile ad penitentiam pro peccato commisso, amat rectissime opus honestum, quin amet peccatum commissum, imò illud detestatur; quare licet intellectus proponat voluntati honestatem juris passivi denominativè sumptam, & habitam à jure activo, quamoptimè potest amare eam honestatem denominativè sumptam, quin amet jus activum: imò quandoque potest eam honestatem amare, simulque fugere jus activum, & intendere illius destructionem, ut constat in exemplo servi adducto num. 76. unde in ejusmodi rebus ab intellectu ad voluntatem nulla tenet paritatis ratio. Ex dictis.

117. Fit 1. Cum D. Thoma 2. 2. quæst. 58. art. 4. Justitiam commutativam (idem esto de distributiva, & legali) non esse tanquam in subiecto in appetitu sive irascibili, sive concupiscibili, sed esse in voluntate: Ratio est, quia, ut constat à num. 8. justitia moverur ab honestate adæquandi jus alterius, ut conferat alteri quod suum est: honestas autem non movet, nisi per rationem propositam, cum non possit repræsentari ut honestas, nisi repræsentetur conformis nature rationali ut rationali: atqui amplecti id, quod proponitur honestum, sive, quod idem est, id, quod per rationem proponitur conforme nature rationali, ut rationali, non

D

pertinet

pertinet ad appetitum sive irascibilem, sive concupiscibilem, sed duntaxat ad voluntatem, ideoque Philosophus cit. num. 12. dicit iustitiam esse tanquam in subiecto in potentia electiva, videlicet in voluntate: ergo iustitia non est tanquam in subiecto in appetitu, sive irascibili, sive concupiscibili, sed tantum in voluntate. Roboratur: habitus iustitiæ in ea potentia manet tanquam in subiecto, ad quam artinet elicere actus iustitiæ; atqui ad solam voluntatem artinet elicere actus iustitiæ, cum sola voluntas moveatur à bono honesto: ergo &c. Quamobrem iustitia, licet dicatur aliquando veritas non dicitur formaliter, sed arguitivè veritas, prout arguit verum dictamen rationis, à quo dirigitur, & quo præsupposito, atque illuminante amplectitur honestatem representatam. Propter utilitatem doctrinæ subiungo, quæ accuratè notat Anthonius Perez tract. 1. de iust. & iure, disp. 2. cap. 2. num. 38. ubi sic ait: *Non desunt Authores, qui impugnent S. Thomam dicentem iustitiam residere in voluntate, existimantes omnes virtutes morales residere in intellectu: opinantur enim habitus inclinantes voluntatem non distingui à speciebus impressis representantibus dulcedinem bonitatis sæpe exercitis; sed hæc opinio non est, & leve fundamentum habet, & potest facile impugnari experientiâ: experimur enim post acquisitum habitum virtutis aut vitij, hominem ex levi aut parum intensa cognitione moveri ad ardentem & intensum affectum, quod profectò oritur ex intensione habitus augentis virtutem voluntatis supra virtutem & intensiorem ipsius cognitionis. At intensio specierum impressarum nihil confert ad intensiorem actus voluntatis, nisi quatenus possunt facere intensam cognitionem; quare si quando non faciunt intensam cognitionem experiamur fieri intensum affectum, id non speciebus impressis, sed aliis causis tribuendum est. Adde S. August. expressè docere, neminem virtute male uti, id est, nemo potest uti humilitate ad actus superbia: at speciebus impressis possumus prave uti: nam ipsa memoria actus humilitatis potest movere hominem ad actum superbia de ipsa humilitate exercita; & est communis sententia Patrum, victoriam vitiorum & acquisitionem virtutum asferre periculum superbia, non quidem per se; actus enim virtutis nunquam est malus, sed per memoriam & cognitionem virtutum.*

118. Fit 2. Jus propriè dictum solum posse reperiri in natura rationali. Ratio est, quia ius propriè dictum confert habenti illud facultatem, ut honestè agat non transgrediendo limites iuris sui; nam si loquamur de iure iustitiæ, ius illud genericè sumptum, nihil est aliud, quàm respectus moralis ad rem suam alicuius, sicutate proprietatis, communitatis, aut membri, quod certè convenire duntaxat potest naturæ rationali; Si autem loquamur de iure passivo sumpto pro debito, aut ex iustitia, aut ex quacunque alia virtute, aut præcepto; quo

in sensu ius activum se extendit ad quodcumque præceptum, & legem sive naturalem, sive positivam ex dictis num. 1. cum sola natura rationalis astringi possit, & obligari lege, & præcepto, solaque ipsa possit & legem, & præceptum imponere, exinde manifestum apparet adhuc in hoc sensu, de quo sermo solet esse in præsentem solam naturam rationalem capacè esse talis iuris propriè dicti.

Quamobrem 1. Juris divisio, qua in sensu nuper dicto ius dividitur in naturale simpliciter, & positivum, non solum ratione iuris positivi, verum etiam ratione iuris naturalis, circumscribenda est ad solam naturam rationalem; unde ius naturale simpliciter est illud, quod ligat naturam rationalem, videlicet Deum, Angelos, aut homines independentes ab ulla inter se conventionem societatis, aut lege libera per ipsos lata, ostenditque aliqua bona, aliqua mala, aliqua permessa: tale est dictamen, quod habemus de Deo colendo: supposita enim hominis existentia non pendet ex libera Dei dispositione, vel hominis, quod eiusmodi dictamen liget nos, sed ipsa recta ratio ostendit nobis independentes ab ullo libero præcepto naturalem obligationem, ideoque ius naturale simpliciter sumptum est immutabile, & indispensabile relatè ad obiectum, quod ius naturæ respicit; si enim obiectum illud ex aliqua circumstantia mutetur, cum sub illa circumstantia non sit ea materia, quæ respicitur à iure naturæ, iam sub ea circumstantia non versatur ius naturæ, proindeque sub illa potest fieri licitum, quod absque illa circumstantia ex ipso iure naturæ erat illicitum v. g. Iure naturæ simpliciter dicto prohibetur homo ex privata facultate agens innocentem occidere, aut absque ulla iusta causa bona retinere quæ alter iustè possidet, & sic de aliis, at si superveniat facultas à Deo, qui est Dominus vitæ, & necis, potest homo ex superveniente illa legitima potestate licitè occidere innocentem; sicut quando Deus præcepit Abrahamo, ut filium suum unigenitum Isaac immolaret; sic ex publica autoritate à Deo concessa, potest Princeps interficere malefactorem, quem nullus homo ex facultate privata potest licitè interficere: sic etiam adveniente iusta causa extremæ necessitatis ad propriam vitam conservandam licet accipere, distrahere, & vendere bona, quæ alius iustè possidet, & quæ tunc sunt unicum medium ad vitam pauperis conservandam.

Dicitur in divisione jus naturale simpliciter ut contradistingatur à iure naturæ secundum quid, quo gaudet creatura in ordine ad aliqua bona proprietatis, & consistit in eo, ut sit iuxta aliqualem inclinationem naturæ subiectam tamen absolutæ saltè potentie Dei potentis illam impedire, aut privare effectu suo; unde sine libera concessione divina volente se accommodare illi aliquali naturæ inclinationi, non gaudebit creatura eo iure proprietatis, nec ali-

119.

120.

ter gaudebit, nisi juxta liberam divinam concessionem, ut bene notavit Maurus quæst. 173. Sic dicitur, hominem habere jus proprietatis secundum quid naturale ad movendum manus, & pedes ad propriam libertatem, quatenus ex natura sua non est servus alterius; at hoc jus proprietatis non datur absolute in homine, nisi Deo liberè annuente, & modò, quo annuit isti inclinationi naturæ; cumque Deus de facto jus istud concesserit, quousque homo vel ex sua libertate nolit se suo jure privare, ut contingeret, si se venderet, & constitueret sub servitute alterius, vel quousque eo jure non privetur ab aliqua lege justa etiam humana, ut priventur jure gentium ea libertate, qui capiuntur, & sunt servi in bello justo; exinde creatura nullum habet jus naturale proprietatis simpliciter in ulla bona, sed tantum secundam quid, & auferibile, atque à jure positivo dependens, ut dicemus à num. 199.

111. Jus positivum est illud, quod pendet ex libera voluntate Dei, vel creaturæ; unde licet omnes circumstantiæ, sub quibus antea obligabat ex parte materiæ, eadem maneat, potest mutari, cum voluntas Superioris, aut Legislatoris possit revocare præceptum, & legem; hoc jus positivum aliud est divinum, quod nempe Deus ipse liberè dicitur; tale est jus vetus contentum in veteri testamento circa ceremonias, & politias; tum etiam jus novum contentum in novo testamento circa Sacramenta, & alia, quæ Deus liberè instituit, vel præcepit; aliud est jus positivum humanum, quod nempe auctoritate puri hominis conditum est; si respiciat directe publicam utilitatem totius communitatis, dicitur jus publicum, & altum, quale est jus Principis, Reipublicæ, & Magistratus; si directe respiciat propriam uniuscujusque utilitatem, licet indirectè, & ex consequenti in publicam etiam utilitatem redundet, vel ordinetur, dicitur jus privatum, & passivum; tale est jus, quod Petrus habet in bonâ sua, atque ad hoc reducuntur leges de contractibus, aliæque similes.

112. Utrumque hoc jus positivum subdividi potest in Canonicum, & civile. Canonicum est, quod à Summis Pontificibus Ecclesiæ Catholice traditum, constitutum, vel approbatum est ad actiones fidelium, seu Christianorum proximè ad divinum cultum ad pacem, & justitiam Christianam in populo Christiano conservandam, & augendam; ultimè verò ad finem æternæ beatitudinis dirigit; jus civile est, quod auctoritate Principis sæcularis est conditum ad Reipublicæ civilis gubernationem temporalem, atque ad salutem civium conservandam. Quare jus Canonicum ex duplici præsertim titulo differt à civili. Primo quidem ex parte efficientis, seu ferentis legem, ratione cujus hoc jus Canonicum dicitur etiam Pontificum, eò, quòd à Pontifice quâ supremo Principe Ecclesiastico latum fuerit, aut in vim legis approbatum: at jus civile vocatur

R. P. Gormaz Theolog. Tom. II.

Imperatorium, Regium, municipale, juxta diversam Legislatoris, aut legem approbantis auctoritatem.

Secundo differt ex parte finis, quem proximè respicit; jus namque civile intendit dirigere hominem in bonum commune, secundum quod congruit humanæ societati civiliter viventi, cujusmodi justitia consistit in legali justitia, & civili; quam prudentia dirigit, ut Philosophus ait num. 12. Non quidem monastica; sed civilis; jus verò Canonicum intendit hominem dirigere ad bonum commune, secundum quod congruit humanæ societati, quatenus non solum civiliter vivit, sed secundum fidem in Deum intendendò, & vitam aliam expectandò; de jure in re, & jure in rem, aliisque divisionibus diximus jam à num. 1. De jure paterno, conjugali, & dominativo, sive ut alij ajunt, paterno economico, & herili infra agendum est. Moneo interim ad jus non sufficere suavitatem alienativam, sed requiri veram explicatam à num. 3. Unde quamvis servus dicat, Petrum esse suum dominum, non habet jus in dominum, quia non habet suavitatem veram consistentem in eo, quòd res, quæ dicitur sua alicujus, sub ordinetur sibi, & non è converso. Quare D. Thomas art. 1. ad 3. accuratè dixit: dicitur autem suum uniuscujusque, quod ad ipsum ordinatur, sicut servus est Domini, & non è converso.

124. Inter naturale jus, & positivum quasi medium intercedit jus gentium; convenit enim cum jure positivo in eo, quòd fit à libera hominum voluntate institutum, & ab eo differt quatenus ad jus positivum non præcedit moralis quædam necessitas omnibus, vel ferè omnibus hominibus communis, quæ eos impellar ad jus istud stabilendum, ut sic omnium, vel ferè omnium utilitates respiciat, quæ moralis necessitas præcedit ad jus gentium stabilendum; ideoque jus istud omnium, vel ferè omnium gentium usu, & moribus introductum est per modum legis præceptivæ, vel permissivæ, quo jure introducta sunt bella, paces, fœdera, captivitates, servitutes, & contractus ferè omnes.

125. Quamquam enim jure naturæ nullus homo sit servus alterius, tamè hoc jus naturæ non prohibet, sed permittit, ut exigentibus utilitatibus humani generis possit licitè condici lex de servitute ex dictis num. 120. non enim datur jus naturæ tantum præceptivum, aut prohibitivum, sed etiam permissivum; sic dicitur, quod jus naturæ permittit Petro, ut matrimonium in ear, vel non in ear; convenit etiam jus gentium cum jure naturæ in eo, quòd præcedat aliqua exigentia omnibus, vel ferè omnibus hominibus communis, ut stabiliatur, & ab eo differt, quia ea sola exigentia non est jus stabilium; neque tale est, usquedum libera hominum voluntate condatur; sic prima rerum divisio, ut infra dicemus, facta est jure gentium id exigentibus omnium, vel ferè omnium gentium

- gentium utilitatibus: at usque, dum lex fuit stabilita, unusquisque poterat bonis uti absque injuria alterius, quod post legem stabilitam jam non licebat.
126. Quamobrem approbare nequaquam possum communem Juristarum expositionem de jure naturæ, & jure gentium, quæ continetur in jure civili L. 1. ff. de justitia, & jure, ubi ex Ulpiano dicitur jus naturale est, quod natura omnia animalia docuit; nam jus istud nõ humani generis proprium, sed propriũ omnium animalium, quæ terra, marique nascuntur; avium quoque commune est; hinc descendit maris, atque feminæ conjunctio, quam nos Matrimonium appellamus; hinc liberorum procreatio, hinc educatio; videmus etenim cætera quoque animalia, feras etiam istius juris pericia censei. Jus gentium est, quo gentes humanæ utuntur, quod à naturali recedere, inde licet facillè intelligere, quia illud omnibus animalibus, hoc solis hominibus inter se commune est; additurque statim L. 2. hoc exemplum ex Pomponio veluti erga Deum Religio, ut parentibus, & Patriæ pareamus.
127. Ex quibus omnibus Jurisconsulti communiter docent, jus naturale illam tantum esse inclinationem, in qua & homines, & bruta conveniunt; reliquas autem hominum inclinationes, quæ brutis communes non sunt, non pertinere ad jus naturæ, sed gentium. Cæterum hæc expositio dno confundit toto cælo diversa; nimirum instinctum quemdam conformem naturæ, ut sensitivæ, per quem homo cum brutis convenit, proindeque, sicut bruta impotentia sunt honestè agere, quod requirebatur ad jus naturæ propriè dictum, ut constat à num 124. ita homo eo tantum instinctu ductus impotens est honestè agere; aliter non esset instinctus, per quem convenit, sed per quem differret à brutis; unde instinctus ille non est jus naturæ propriè dictum.
128. Alius est instinctus naturæ conformis rationali, ut rationali, per quem homo agens honestè agit, differtque essentialiter à brutis, qui proinde est jus naturæ propriè dictum, quamvis homo in eo cum Brutis non conveniat; quod certè ex doctrina SS. Patrum, Theologorum, & Philosophorum moralium manifestè deducitur. Ratio est, quia juxta SS. Patres, Theologos, & Philosophos morales jure naturæ obligamur, & non tantum jure gentium, ut co-
- lamus Deum, ut parentibus, & Patriæ pareamus; ut non colamus Idola, ut non blasphemus, non pejeremus, non mentiamur: atqui in his omnibus, ut ex terminis patet, homo non convenit cum brutis: ergo ad jus naturæ propriè dictum non requiritur inclinatio, in qua homo cum brutis conveniat; quare jus naturæ simpliciter, & propriè dictum, est illud, quod exclusa omni lege libera, aut positiva, quæ hoc approbet, reprobet, aut permittat, ligat naturam rationalem, ut hoc approbet, reprobet, vel permissum agnoscat, ut supra diximus; videantur Exim. Doct. lib. 2. de Legibus cap. 17. Molina tract. 1. de justitia, & jure disp. 6. propè finem, & Vasquez 1. 2. disp. 157. cap. 1.
- Fit 3. cum D. Thoma 2. 2. quæst. 61. art. 3. materiam proximam, & immediatam justitiæ commutativæ in sensu D. Thomæ distingui à materia proxima, & immediata justitiæ distributivæ, licet materia remota sit eadem. Ratio est, quia materia proxima, & immediata justitiæ distributivæ juxta acceptionem D. Thomæ est distributio bonorum communium; aut si mavis, etiam onerum per se intendens proportionem geometricam juris respicientis non quidem suavitatem proprietatis, sed suavitatem communitatis, ut constat à num. 3. & 8. Materia proxima, & immediata justitiæ commutativæ est commutatio, seu compensatio per se intendens proportionem arithmetica juris respicientis non quidem suavitatem communitatis, sed suavitatem proprietatis, ut ex eisdem locis constat; atqui distributio illa bonorum communium est actio distincta à compensatione arithmetica juris proprietatis: ergo materia proxima, & immediata harum virtutum est diversa; quamobrem juxta acceptionem D. Thomæ materia proxima & immediata virtutis non dicitur objectum materiale, sed actus ipse virtutis tendens circa objectum materiale virtutis; unde in ea acceptione materia remota harum virtutum est eadem, cum materia remota justitiæ commutativæ sint ea, quæ possumus commutare, sed eadem quoque possumus distribuere; sicut enim possumus distribuere pecunias, & labores; sic possumus hæc eadem commutare: ergo juxta acceptionem D. Thomæ materia remota harum virtutum est eadem.

DISPUTATIO III.

DE PRÆSTANTIA, ET EXIGENTIA JUSTITIÆ COMMUTATIVÆ.

130. Præstantia virtutum inferenda est aut ex præstantiori objecto formali, aut ex modo notabiliter nobiliori illud attingendi; unde virtutes Theologicæ sunt præstantiores moralibus, quia virtutes Theologicæ habent pro objecto formali quod ipsum Deum, cui uniunt immediate potentias ipsas rationales, ut diximus, à num. 53. de virtutibus Theologicis; ideoque